

## HOMILIA VII.

*De circumstantiis loci, et temporis, quando natus in terris est Dei Filius, in cuius natalem diem alia sacrae Scripturae loca explicantur, et factio ad Filium, et Matrem colloquio praevis usus perperam laetantium reprehenditur.*

Tam est plena mysteriis Christi nativitas, ut quod ipsam circumstat tempus, et locus, mysterio non careant, quemadmodum Prophetiae, et post illos Ecclesiae Patres accurate animadvertunt. S. Ioannes Damascenus (*lib. 2. cap. 1. de fide*) scribit, sicut in homine diversae sunt aetates, videlicet infantia, pueritia, iuventus, et reliquae; ita mundi esse varias aetates, quae, ut ipse censet, numero septenario comprehenduntur, idque Clodoveus in suis commentariis, et Neclantius in Medulla Scripturae comprobant. Iuxta quorum sententiam prima mundi aetas infantia nuncupata, fuit ab Adamo usque ad universalem aquarum eluvionem. Secunda pueritia, ab hac eluvione usque ad Abraham, cui filii datum a Deo praeceptum circumcisionis. Tertia adolescentia, post Abrahami tempora usque ad Moysen. Quarta iuventus, a Moesate legis promulgatione usque ad Davidem. Quinta vocata virilis, post Davidem usque ad Babyloniam captivitatem. Sexta aetate, post Babyloniam servitutem usque ad Christi adventum, et liberatum. Perfecta aetas, quae septima est, coepit a Christo, et usque ad universalem iudicium propagabitur: quam demum octava, et ultima aeternitatis consequetur. Ego tamen veriorum patrum magni Patris sancti Augustini de hac re sententiam, et temporum partitionem, qui loquens contra Manichaeos, et contra Faustum, arbitratur has mundi aetates numerari debere iuxta numerum dierum, quibus universa natura condita fuit, ac propterea sex esse oportere mundi aetates, quoniam sex dies conditor rerum Deus illis creandis insumpsit. Ad quam numerandi rationem prima mundi aetas erit ab Adam usque ad diluvium; secunda a diluvio usque ad Abraham; tertia ab Abraham ad Davidem; quarta post Davidem usque ad transmigrationem Babylonis; quinta post Babylonis captivitatem usque ad Christi natalem; sexta post Christum natum usque ad venientem postea exitum, quando Filius Dei veniet potestate magna homines iudicaturus; quibus transcatis aetatibus, ait Augustinus, futurum esse sabbatum, id est, requiem iustorum. Hanc Augustini rationem aetates mundi numerantes sequuntur Ioannes Chrysostomus (*in hom. de Iephth.*), s. Isidorus (*in Etymol.*), et Beda (*lib. de orat. tempor.*): unde constat Christum in sexta mundi aetate natum esse, quemadmodum idem Augustinus in sermone de nataliis Christi observat. Praeterea in libro de natura rerum, Beda, et Lucius insignis mathematicus aiunt, Christi natalem contigisse in solstitio hyemali, quod certe singulari myste-

rio non caruit: nam quemadmodum eo tempore sol ad infimum caeli punctum descendit, ita iustitiae Sol Christus ad humiliorum, et inferiorum terrae locum accessit, videlicet ad praesepe porticus Bethlehem, quod Paulus Apostolus loquens de Christi adventu aperuit his verbis: *Descendit in inferiores partes terrae*. Et sicut solstitium hyemalis tempore sol incipit vultum suum ad nos convertere, et dies incipiunt augeri; ita Sol iustitiae Christus hierno nascentem tempore nobis apparet, incipit mentem nostram perfundere luce veritatis; unde vere dixit Augustinus (*sup. Psal. 31*): *Nascente vera luce, lucis, et dies augmentatur officium*: quod etiam claris alibi testatur in hunc modum: *Natus est Ioannes sicut tradit Ecclesia, octavo Kal. Julias, cum iam incipiunt minui dies: Dominus natus est octavo Kal. Ianuarias, quando tam dies incipiunt crescere. Audi ipsam Ioannem confitentem; illum oportet crescere, me autem minui: et passionem eorum hoc indicant: Dominus in cruce exaltatus est, Ioannes caeso capite diminutus*. Hoc etiam venerabilis Beda notavit, alia tamen utens allegoria non minus ingeniosa, ita inquit: *Non vocat mysterio Ioannis natiuitas cum dies decreverit, Domini autem cum dies crescere inchoant, facta memoratur. Crevit quippe Dominus, quia per totum orbem, quod Christus esset, innotuit; decrevit Ioannes, quia qui Christus existimabatur, quod non Christus, sed praeco Christi esset, aperuit*.

Quod si quaerere volumus, quata hora haec Christi nativitas tot undique cumalata mysteriis acciderit, audiamus Augustinum (*Psal. 109*), et Tertullianum (*con. Marcionem*), post medium noctis tempus contigisse testantes: in cuius rei testimonium adducunt Psalmi (109) verba: *Ante luciferum genui te*. Quod noctis tempus huius mysterio convenientissimum fuit, i quo dum quis gravitate personae, et auctoritate pollens verba facit, conficere solent omnes qui adsunt, ut de Aenea per noctem loquente dixit Virgilius (2. *Aen.*):

Conticere omnes, intenteque ora tenent.  
Iude toro pater Aeneas sic ortus ab alto.

Silentium hoc nunquam maius est, quam nocturno tempore, dum solent mortales a diurnis laboribus, et exercitationibus abstinere: unde Salomon inquit (*Sap. c. 18*): *Dum medium silentium tenebant omnia, omnipotens serpo tuus de regalibus sedibus venit*. Duplex autem est Dei sermo, seu verbum: primum enim ipse solus, remotis arbitris, et nullo audiente locutus est, non lingua, sed mente, et intellectu suo infra se Verbum producens aeternum, quo tanquam in compendio divinae scientiae, quicquid ipse dicere poterat, comprehendit; et de hoc dictum est: *Semel locutus est Deus*. Secundum verbum, quo nos est alloquutus, Filius eius est, carnis mortalitate indutus, dicente Paulo: *Locutus est nobis in Filio suo*. Nam sicut nos ad significandum nostrae mentis verbum, externa voce proferimus, ut quod animo habemus, ab aliis percipiatur; sic Deus locutusur nobiscum, ut ipsum audiremus, et intelligeremus, aeternum Verbum suum carne vestivit, et nostro

sensu, ac visu subiecit (*Ioan. 1*): *Et Verbum caro factum est*; quod ut mellas audiretur a mundo, tempus expectavit, quo *medium silentium tenebant omnia*: significaturus etiam in hac re nobis, quod anima, quae Deo vacare desiderat, silentium, et recessum quaerere, et ab strepitu curarum, et affectuum tumultibus abstrahere debet. Voluit etiam tempore nocturno nasci, indicaturus, se amore nostro teneri, et stimulis illius actum ad hominum festinate contubernium. Nam ut qui pulchrae puellae amore ardet, solet media nocte vagari personatus, et eius domum circumire, vi amoris cogente; sic Christus media nocte nascentem humano amictu tectus, resonantibus angelorum vocibus indicat nuntium suum, et ardentissimum amorem animarum nostrarum, quas ut sibi conciliet, et ad se attrahat, vigiles agit noctes, et irrequietas, frigori noctis expositus.

Nec iam de loco, in quo Christus natus est, sermonem insituamus: multis enim antea saeculis id fuerat a propheta Michaea (c. 2) notatum: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel*. Quae una dignitas a Christi nativitate proveniens adeo praestat, ut reliquis terrarum urbes longo intervallo superet. Gloriarum quidem poterit Hierusalem templi maiestate, Babylon muros fortitudine, Athenae litterarum studio, Memphis pyramidum altitudine, Roma triumphis, Damascus artificibus, Ninive magnitudine; Bethlehem autem solo Christi natali his omnibus longe praestat et antecellit, quod et Prudentius poeta sic memoravit:

O sola inagurum urbium  
Cui contigit maior Bethlehem  
Duceum salutis coelitus  
Incorporatum signere.

Hanc etiam ob causam Gregorius Nazianzenus Bethlehem mundi metropolim, et caput, atque inter omnes urbes solam immunem merito appellat: quoniam etsi Bethlehem non praeterfluit Aegypti fecundus Nilus, nec Germania Danubius, nec Ganges Orientis, nec Tygris vel Euphrates Chaldaeorum, nec aurifer Hispanorum Tagus, nec ibi exurgat Graecorum mons Olympus, nec Asiae Taurus, nec Mauritaniae Atlas, nec illi adsint dromedarii Madian, elephantes Trophanae, Indiae rhinoceros, Hircaniae leones, ac demum quamvis non reperiantur in ea, ut apud Liguriam bombycum copia, et affluencia, nec auro inlecta ornamenta Venetorum, nec Flandrorum peristomata, nec Holorum simulacra, nec Arabum odores vel margaritae, nec Ethiopiae pretiosus lapides, nec Alexandriae balsamus, nec montis Libani cedri, nec platanus Hierico; omnibus tamen his locis gloriae felicitate praecellit, quod intra eius fines Christus sit natus, ex qua una re tantum accepit splendoris, et dignitatis, ut nullo magis, quam si praedictis omnibus rebus afflueret, sit effecta gloriosa. Non inferior ante Christum natum inclutam fuisse Bethlehem, quoniam patria erat regis Davidis; nunc

autem nobilior multo est, quoniam ibi non solum David, qui fuit Christi figura, sed ipsemet Dei Filius natus ex Virgine in lucem prodiiit. Hinc s. Bernardus (*ser. 3. de nat. Dom.*) inquit: *O Bethlehem parva, sed magnificata a Domino, magnificat te, qui factus est in te parvus ex magno. Quae tibi civitas non incidit pretiosissimum illud stabulum, et illius praesepe gloriae? In universa siquidem terra iam celebre est nomen tuum, et beatam te dicunt omnes generationes, ubique gloriosa dicuntur de te civitas Dei*. Nihil amplius dicam de circumstantia loci, in quo natus est Christus, si addidero ei convenire perquam optime nomen utrumque, quo vocatur Bethlehem, et Ephrata: illud enim idem est, quod *domus panis*: hoc autem *fructiferam* significat. Quis autem panis verior, vel divinior, quam Christus, qui de se dixit: *Ego sum panis verus, qui de caelo descendit*? Quae vero terra fertilior, vel fecundior, quam Bethlehem, quae produxit panem universo mundo alimentum? Nec lamem id pretio comparandum, sicut olim Ioseph providit in Aegypto frumentum; sed ultro et gratis datur omnibus famelicis accedere volentibus, ut praedixerat David (*Psal. 80*): *Et cibavit illos ex adipe frumenti*. Hoc ipsum meditari videbatur Ecclesiae insignis ille doctor Hieronymus, quando (*in comment. super Michaeam*) ita scripsit: *Cuiusnam telluris fecunditas cum Bethlehem ubertate conferri potest? ceterae regiones frumentum ferunt, oleum, vinum, fructuumque copiam aliorum, at Bethlehem panem caeli protulit*.

Sed ut divini huius mysterii circumstantias omnitamus, accessuri propius ad eius tractationem, operae pretium erit in memoria revocare mysticam Zachariae visionem, ita dicentis (c. 1): *Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quae erant in profundo*. Hunc locum de Christi natali Hieronymus interpretatur, unde per virum a Propheta visum intelligit Dei Filium, et per equum rufum illius humanitatem: nam quemadmodum qui equum ascendit, illum si freno facile pareat, quo vult agit, ita divinum Verbum suam humanitatem, quae semper eius imperio in omnibus actionibus, et motibus paruit, aliter tamen, quam reliquos Sanctos, moderabatur, ut notavit Augustinus, inquit: *Non quomodo alios Sanctos regabat illum hominem, sed gerabat: quoniam viros iustos, et sanctos externo favore regit, caelitus eis auxilium infundens; sed humanitati, quam induit, seipsum praebuit rectorem, supponens propriam Dei personam: unde regulam ita certam ad bene operandum homo, quem gestabat, accepit, ut nec transversum, ut aiunt, unquam a recto deflectere valeret*. Quod ait Propheta, *Vidi per noctem*, etc. praesenti mysterio apte convenire certissimum: nocturno enim tempore Christi fuit nativitas, ut praeviderat Salomon (*Sap. 18*): *Dum nox in suo cursu medium iter peragret, etc. Subdit Propheta, virum illum stare inter myrteta, hoc est in loco amoeni, et statim subiungit, myrteta illa, seu viridarium positum esse in profundo*. Quibus verbis aperit totam illam amoenitatem,

hoc est, totam Dei gloriam, et maiestatem in locum humilem, in praesepe videlicet Bethlehem esse demissam.

Fuit Evangelistae Iohanni alia eiusdem mysterii facta revelatio (Apo. 10): *Vidi angelum descendentem de coelo amictum nube, et iris erat in capite eius. Hic angelus Filius Dei est, qui vocatur ab Isata magni consilii angelus: nubes, quae erat amictus et tectus, Christi humanitas est, quam valde proprie nubem appellat: quoniam sicut nubes ex coeli calore, et ex vaporibus terrae generatur; ita Christi caro formata fuit ex purissimo sacratissimae Virginis sanguine, quem Spiritus sancti calor fovit, et cuius illa admiratione concepit. Ad haec, ut nubes, quae ab aqua marina surgens nihil retinet amaritudinis, et nullum in ea manet salis contagium, vel sapor, quoniam radio solis perennis, et expurgata illum amittit; ita mystica humanitas Christi nubes, quamvis ortum habeat ab aqua marina, hoc est ab antiquis patribus, nude propagata fuit, quoniam tamen iustitiae Sol Dei Filium illum occupavit, nulla in ea delituit amaritudo, nullum peccati vestigium, iuxta id quod de Christo scriptum est: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* Cernimus etiam, quando urgente tempestate nubes scinditur, et dirumpitur, magnum protinus audiri fragorem: quod etiam nubi corporis Christi, quando rupta fuit, contigisse traditum ab Evangelistis est. Nam cum humanitas illius divisa fuit per animae, et corporis separationem, tantum huius nobis divisio, et dissipatio strepitum, et horribile sonum fecit in orbe terrarum, ut lapides ipsi multo collisi fuerint, dicente Evangelista (Mat. 27): *Et petrae scissae sunt.* Praeterea cum nubes in pluviam solvitur, solet esse terris utilis ad foecunditatem; at si vertatur in turbinem, et procellam, offendit agros, et vineas, ac segetes vastat; ita nubes haec mystica humanitatis Christi, cum in hoc eius adventu instat pluviae apparuerit placidae, et mollis, *Sicut pluvia in vellus descendens, omnes agros nostrae regionis reddidit foecundiores, et uberitate bonorum locupletavit; sed in secundo adventu quando mundum indicaturus adveniet, tunc instat venti Aquilonis, et horrissonae tempestatis late vagabitur, et saeviet in peccatores.* At etiam Iohannes: *Et iris in capite eius, per quae verba diadema, quo ille coronabatur, intelligo: nam Christus inaudita novitate ab ipso matris utero regalibus decoratus insignibus, vel potius Rex verus, et Dominus dominantium profuit. Potest etiam iris in capite eius fulgens aliter explicari, si dicamus inde insinuari pacem, quam universo mundo praenunciabat, quam tam in sacris, quam humanis litteris discolor caelestis arcus significare consuevit. Relictis autem nunc communibus aliis rationibus, quibus hoc firmari poterat, illa est notata dignior, quod sicut in iride duplex praefulget color, unus rubeus, quo notatur iustitia, et ira: alter viridis smaragdo similis, quo spes significatur, et venia, ea tamen colorum dispositione, ut color purpureus supernam, et a nobis magis remotam partem, viridis autem infimam, et nobis magis vicin-**

nam occupet, atque ideo concordiae, et pacis magis, quam iustitiae, vel irae signum esse solet arcus caelestis; ita etiam in hoc mystico arcu, qui est Christus, fulget pariter color rubeus, et viridis, quo iustitia, et misericordia indicantur, eo tamen loci situ, ut iustitiae color praecineat, et a nobis distet; misericordiae vero magis depressus, nobisque vicinior eluceat. Hinc ergo angeli hodierna die annunciant mundo quietem, et misericordiam, concinentes: *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*

Verum haec, et alia plura loca sacrarum litterarum tantum sunt quaedam umbra veritatis, quam nobis perspicuis verbis Evangelista narravit: *Factum est cum esset ibi, peperit filium suum primogenitum, et panis eum involvit, et reclinavit in praesepe.* Primum omnium iterum admiror, cur Evangelista mysterium tantum, et tam sublime verbis ita brevibus percurrat. Nunc quo divine historice tam facile dicta, et tam credibile putas, quod narras prodigium, ut satis esse con seas dicere: *Peperit filium, panis eum involvit, et reclinavit in praesepe?* Tam parum est nasci Deum, panis involvi, et in praesepe recumbere Verbi aeterni maiestatem? Quid mirabilius, quam ad animalium pedes in praesepe positum illum audire vagientem, qui pedibus suis non modo coeli culmina, sed cherubin, et seraphin capita perambulabat? Non ita quidem abrupto sermone angelus eius navitatem pastoribus annunciat, sed a rei utilitate, et magnitudine audientium conciliavit animos, et captavit attentionem, inquis (Luc. 2): *Eccc evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Salvator.* Causam esse putaverim, quod Evangelista quavis mysterii altitudinem, et excellentiam optime noverat, ideo voluit brevibus verbis illud perstringere, ut veritati, quam scribebat, se conformaret, utens verborum brevitate in explicando Verbo abbreviato, quod notavit Bernardus (in ser. de circumcissione), asserens, ideo brevem esse Evangelii lectionem in die circumcissionis, quia *Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.* Possimus etiam dicere, praesentis die sacramentum tam esse supremum, et explicatum difficile, ut antiqui prophetae multo rerum divinarum lumine illustrati, et qui singulari apud Deum gratia in cognoscendis mysteriis pollebant, illud assidue meditantur, et quibus maxime poterant verbis, et figuris ostendere volentes, id assequi non valuerint, atque ideo etiam Evangelistam haec ipsa de re tantum voluisse recensere, quod erat omnino necessarium, omni amolo verborum oramento, quoniam non solum humana, sed angelica eloquentia tanti mysterii explanationi impar est. Moyses admiratione olim plenus interrogabat in haec verba: *Si futura est aliquando res talis, ut audiat populus vocem Domini loquentis de medio ignis? quid vero hoc est, si cum praesentis mysterio conferatur? Nam si admiratione dignum ensebat Moyses audire Dominum in igne loquentem, nonne multo mirabilius est illum nunc in praesepe audire, et videre plorantem (Sup. 7)? Primum vocem omisi plorantis. O felicissima nostra aetatis tempora, quibus*

Deus non a throno ignis, quo terror incuti solet accedentibus, sed ab humili praesepe populum suum alloquitur, ad se ipsum videntium vagitibus invitat, et lacrymis fertur. Non igitur patiar benignissime redemptor interlari mihi occasionem tam opportunam, accorro libens ad te, venio licet indignus pauca tecum locuturus. Quomodo per hosce ante ante dies intra Virginis, et Matris thalamum te habebas? Bene quidem; nam post Patris mei sinum nullus mihi quam matris gratior est. Cur amantissime puer voluisti novem mensium spatio illic esse conclusus, cum posses multo citius facere, ut virginea sacratissimae Matris tuae terra exoplatur mundo fructum produceret? Causa est, quoniam ego de coelo veni, ut hominum numero adscriberer, et amictu illorum induerem, ideoque placuit per menses novem agere novitium, antequam humanitatis officium in similitudinem hominis factus profererem. Die etiam, si placet, quid illo novem mensium spatio feceris, nunquid in otio degebas? Non utique, nam praeterquam Dei visionem animam meae fruebar, amor otium non permitit amantibus, atque ideo dum illic latebam, humanitatis meae tuerentem regium, et purpureum tegumentum, quo vestitus in hominum conspectum prodirem: illic tanquam in armamentarium me ipsum omni armaturae genere circumcixi, ut in arenam cum hoste praeliaturus descenderem, non quidem paribus, sed infirmioribus armis munitus, ut insignior victoria haberetur. Responde plura, si placet, dulcissime Domine, nec enim ab interrogationibus possum abstinere, ductus gratissima, et suavissima dulcedine tuarum responsonum. Cum tu adeo immensitate praecellas, ut iuxta verba tua, coelum, et terram impleas, qui fieri potest, ut intra angustum praesepe tanta magnitudo comprimat, et circumscribatur immensitas? Quoniam mater mea his me angustiis coercuit, iuxta illud (Prov. 31): *Cingulum tradidit Chananaeae:* cinxit enim me balteo militari humanitatis, quo ita magnitudinem meam demisit, et parvitate constrinxit, ut meo corpusculo amplissimus locus praesepeium sit. Die Domine, nisi forte molestus sum interrogando, cum a diissima Orientis regione India veneris, quas tecum divitias, quosve alters thesaurus, quibus nostram inopiam locupletes? Meus dicit Evangelista (Joan. 1): *Menum gratiae, et veritatis:* hoc enim est memm aeternum, ex quo gratia, et veritas prodent. Nam cum duae sint facultates praecipuae in homine post peccatum corruptae, videlicet intellectus, et voluntas, ideo intellectui veritatem, et voluntati gratiam afferro, et charitatem, ut meus dicit Apostolus (ibid.): *Gratia, et veritas per Iohannem Christum facta est.* Haec venit ad nos Christus bonis abundantis spiritualibus, sed a temporalibus adeo imops, et egenus, ut de illo dixerit Evangelista (Luc. 2): *Non erat ei locus in diversorio.* Invenierunt in domo Abraham tres illi angeli hospitium; Elisens a vidua receptus fuit; et exploratores a Rahab: Christus autem quo divertat, non habet. Sed id maiori me afficit admiratione, quod mater eius non illum in sinu, sed in praesepe deponit. Quid

hoc est. Virgo sapientissima? nonne optime scis hunc infantulum Dei esse Filium? Quomodo igitur, cum tu pio, et pliusquam materno ardeas affectu in eum quem genuisti, illum vix ab utero prodentem in duro praesepe rigoribus exponis? Puer hic, o Domina Regina coeli, tuus certe est: cur ergo adeo in eum rigidam te geris, ut illum a te repellere videaris, ac quasi pudori dicere, quod illum pepereris? Tu sola profecto mater eius es, nec enim id inficiaberis: at mater cum sis, eum amoves abs te, et aeris, atque temporis iniuriis obicis. Memini dixisse Hieremiam (Thren. 4): *Sed et lamiae nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos:* cur ergo ipsa ubera Christo non porrigis, sed in praesepe lacere plorantem patris? Moysen mater eius spatio trium mensium domo tenuit occultum, ut et vitam servaret; cum vero amplius celare illum non posset, imposuit canistro aquae commisit, nec statim tamen a partu, sed, ut dixi, post menses tres. Tu Virgo sanctissima vix illum enixa proicis in dare laborum, et dolorum, et quasi molestum ducens eius amplexum, lenerrimum filii tui corpusculum in praesepe collocas. Decentius, et melius quidem inter brachia tua ab ubere pendens, quam in duro praesepe lectulo dolens, et vagiens quiesceret. Melius certe sibi, non autem nobis, pro quibus homo factus, omnibus his incommodis obnoxius est. Ude mater eius nostrae utilitatis amantissima, filium obtulit, tanquam divina sacerdos aeterno Patri, eum in aera praesepe collocans, ut statim a puro inceptu per nobis satisfacere: nam licet sit infantulus, opera eius immensi, et infiniti valoris sint.

Ex dictis colligo cum S. Bernardo (serm. de nativ.), dum Christus plorat in praesepe, et frigore in stabulo tremat, dum illum mater vilibus panis involvit, mundum despere, delicias, choreas, convivia, et alia corporis oblectamenta hoc tempore quaerentem. Non est mirandum, si aliis temporibus mortales delicias induserint: videbant enim velut Deum in mensa sui altaris meliores fructus, pinguiorem hodiem, et fertilius frumentum offerri. Non miror, si homines olim divitiis quaerentes, et paupertatem fugerentes, cum cernerent Deo vasis argenti, et aureis, pretiose, et elegantior elaboratis ministrari. Nec admirationi mihi est, quod praeteritis temporibus delectati fuerint amplius, et sumptuosius aedificis, nam Deo placere domum, et templum elegantibus marmoribus, et lignorum pretiosa materia, quibus cedrorum est, affabrefactum, ornamenta sacerdotum templo ministrantium byssina, et purpurea, et tabernaculi pretiosa ornamenta probari videbant. Nunc autem Deo in praesepe iacente, quae ratio est, vel potius exensio, ut avarus divitiis inhiat, et invigilet? Cur Deo in stabulo recumbente, splendendum, magnificentique palatium vix capit annuum ambulosum? Quid causae est, ut Rex regum in praesepe thalamo iacet, ut autem in lecto auro damascenis, et auro intextis conopeis circumlectus recumbas? Quomodo in tanta Dei paupertate, ac nuditate eo processit mulieribus vanitas, ut dum ille panis involvitur, scri-

cis, aureis, et segmentatis vestibus ornari studeant, quibus non tam corpori decus, quam animae labem comparare solent? Hic certe abusus ratione caret, et excusatione. Nam si indumentorum genera regiae curiae morem, et usum sequuntur, et nunc in curia Bethlehem contrarius nostris moribus viget usus, cum ibi pro regio palatio adsit stabulum; pro thalamo praeseptum; pro aulaeis telae araneorum; pro sumptuosius tegumentis panni, et fasciae viles; pro equis elegantis stralis, et ornatis humilis bos, et asinus. Quorsum tam sacro tempore convivorium, et ornamentorum, tantus excessus, et argenti, atque auri apparatus saluti animarum inutilis? Eo enim quorundam est projecta licentia debacchandi Christo nascente, ut per eos renovari mihi videatur confusio Babylonicam turrim aedificatum, quibus, si lateres pelebant, ministrabant aqua; si aquam postulabant, lapides praebebantur. Non aliter nunc vult homines auctori vitae Christo recens nato, lacrymas a nobis postulant, risum, ludum, et chorearum saltus rependant. Christus in stabulo alget, et prae frigore tremat tu pauperem oblitus lucentem igni calecis; ille pannis oblitus humilibus, et despectis; tu splendide, et magnifice ornatus incidis; ille inamem mundi gloriam, et pompam aspiratur; tu illum nunc magis, quam antea, et intemperantius affectas. Qui certe rerum abusus non alium, quam diabolum habet auctorem: nam sicut olim gentes idolorum cultus, cupientes abolere piam Christianorum memoriam, qua urbem sanalem Hierusalem, et loca illa divini Verbi pedibus calcata, et pretiosissimo eius irrigata sanguine venerabantur, staterunt in Christi sepulcro lovem, in calvario Venerem, in praeseptio Bethlehem Cupidinem falsum amoris Dem, seu Veneris amasium Adonidem, quemadmodum testatur Hieronymus (Epist. 13) his verbis: *Ubi quondam Christus parvulus vagit, Veneris anasius plangebatur*, quae impietas, ut idem ait, ab Adriano Imperatore usque ad Constantinum annos fere centum octuaginta permansit; non aliter nunc diabolus coepo sacrolegio insistens, licet non idola aerea, vel marmorea erigat, pro illis tamen mores ab omni pietate, et religione alienos animis piorum inducit, ut ignem charitatis, et devotionis, qua Christi natalitia colere debent, minuat, et extinguat. Unde factum, ut incauti, et immemores propriae salutis, multi pro sanctis, piis, et honestis exercitationibus seculorum profanam, irreligiosam, et tam pio, ac sancto tempore indignissimam vitae consuetudinem, magisque natalem Bacchi, Cupidinis, aut Veneris, quam sanctissimum Christi nativatem celebrare videantur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VIII.

*Prosequimur circumstantias, Nativitatis Christi Domini prodigia, quae tunc tam in coelo, quam in terris visa, quaeque in portu Bethlehem gesta sunt, copiose enarrantes, insignemque locum Iob Christi Nativitati pulchrè adaptamus.*

Doctissimus Petrus Damianus explicans illa verba, quae ab Evangelista Luca in actibus Apostolorum referuntur, ex propheta loele mutata, *Dabo prodigia in coelo, et in terra*, praesenti mysterio Incarnationis, et nativitatis accommodat: tot enim, ac tanta, Christo in lucem prodeunte, contingere portenta, ut universa rerum natura illum legitimum, veramque omnium creaturam Dominum, et conditorem profiteri videretur. Quo enim tempore mortales fere omnes Augustum Caesarem dominum suum, ac Imperatorem agnoscebant, edicto cogente (Luc. c. 2): *Exiit edictum a Caesare Augusto, universus quoque omnium rerum creaturam ordo Christum colit, et adorat*: tunc, ut Petri Damiani utar verbis, *universa in suam iraverunt Creatorem*. Inter haec autem, quo Christo nascente prodigia facta narrantur, primo loco constituere placet, quod Eutropius, et Innocentius Tertius (ser. 2. de nativ.), nec non s. Antonius (1. part. hist. tit. 4. c. 6. tit. 10) retulerunt. Romani quidquid terrarum suo parebat imperio, secura, et laeta paece frui animadvertentes, et frequentibus antea, gravissimisque assueti bellis inexpectatam pacem, et insolitam universi Imperii quietem admirantes, id Octaviani Imperatoris industriae, atque prudentiae in Imperio gerendo attribuebant, ideoque tanto beneficio grati, illum tanquam Deum colere, et venerari decreverunt. Ille vero non minus pius, quam prudens illorum votis refragabatur; quibus tamen argentibus, et flagitantibus satisfacturus, Sibyllam ca tempestale in oraculis reddendis nobilem, quid sibi faciendum foret, consulit. Illa pollicita responsum, cum intra Imperatoris aedes, tempore quo Christus nascebatur, moraretur, quod Imperator quaesierat attente contemplant, subla- tis repente in coelum oculis, vidit prope solem aureum circum, in cuius medio intuta quoque est pulcherrimam Virginem, intra brachia foventem infantulum. Tunc accersito Imperatori quod viderat in coelo, miraculum indicavit, et puerum illum omnium futurum Dominum, cui reges omnes parenter, propheticum spiritu afflata praedixit, auditaque de coelo profertur vox fuit: *Haec est arca coeli*, quod ita factum adhuc testatur ex Imperatoris palatio constructa, et dicata Deo ecclesia cum monasterio sub titulo, Arae coeli, quod a mei Patris s. Francisci religiosus incolitur. Sybillaque audito responso Octaviani mandavit, ut eum nemo vocaret Dominum; quandoquidem iam, qui omnium erat verus, et legitimus Dominus, natus aderat. Magnus etiam philosophus Calcidius (super Platonis *Tymaeum*) affirmat, sicut

esse in coelo, quo Dei hominis nativitas notetur, cuius verba sunt: *Est alta sanctorum et venerabilium historia, quae perhibet ortu stellae descensum Dei venerabilium ad humanae conversationis, verumque mortalium gratiam, quod etiam Magister Pisanus (in libro de conformitat.) tanquam verum approbat. Crediderim tamen, quod si tale sidus adfasset, supernaturaliter factum sit: nam Dominus siderum naturalibus sideribus minime subiectus fuit quantum ad hypostaticam unionem, et incarnationis mysterium. Huc etiam respicit, quod perit notant Astrologi, sicut Albumazar (in suo *introductione astronomico lib. 1. cap. 6*), et Io. Stophelinus (in *Procli sphaeram*): aientes, inter Pegasus, Chaldaeos, et Egyptios communi opinione vulgatum haberi, inter signa Zodiaci, sub signo Virginis figuram esse ex variis stellis compositam, quae Persarum idioma vocatur Scelenidis de Barzana, et per illam representari puellam pulcherrimam tenerae aetate, cultu, et habita honestam, crinibus oblongis, et solutis, in solio pretiose, et elegantem exultio, puerum gremio, et manu spicas duas tenentem, quibus duplex eius natura, divina, et humana, ad animae, et corporis cibum innuebatur. Hinc nonnulli arbitrati sunt, per huiusmodi stellam Magos illos, qui ab Oriente Christum adoraturi venerunt, et quod Astrologiae peritia valeret praevideus Christi natalem; unde dixerunt (Math. 2): *Vidimus stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum*. Hoc autem certe verum non est: nam stella, quam Magi viderunt, non ex antiquis astris, sed noviter facta fuit in illud ministerium, Augustino his verbis affirmante: *Novam stellam creavit natus, qui antiquum solem obscuravit occisus*. Plinius, et post illum s. Thomas (p. 3. q. 36. a. 3) memorat in Hispania tres in coelo apparuisse soles, qui postea in unum paulatim coiverint: quod certe quid aliud fuit, nisi manifestum signum Incarnationis Dei? ubi tres simul substantiae, nempe divinitas, anima, et corpus, quae inter se distinctae, in unum, idemque convenere suppositum, quale est Sol iustitiae Christus Iesus, tribus illis compositus natus. Lucas Tudenis visam ait in Hispania ea nocte, qua Christus nascebatur, nubem lucis splendore ita mirabilem, ut instar diei noctem illustraverit, illis caelestibus signis subiungit aliud d. Ambr. quod nec possum praeterire, nec debeo: ait enim: *Si sol obscuratur cum Christus patitur, necesse est illum splendidus lucere cum nascitur: et ibidem: Si sol ad Iesu Nave orationem deflexus stetit, cur non ad Christi nativitatem festinus promoveret in noctem?**

Hacc in coelo prodigia: sed quae in terra visa sunt, non minus mirabilia fuerunt. Sanctus Bonaventura in opusculo, quod de festivitibus pueri Iesu scripsit, ait vineas Engadidi eadem nocte floruisse, ut animadverteret, tunc impletum, quod fuerat praedictum (Isai. 11): *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet*; nec non ad indicandum, Virginem matrem post partum non amissis florem virginitalis. Bartholomaeus Angles addit, non solum vineas illo nocturno tempore,

quando Christus in lucem editus fuit floruisse, verum etiam fructum produxisse. Eusebius Caesariensis in Chronico temporem, et Eutropius in historia Romanorum, nec non Platina de vitis Romanorum Pontificum, traduntur, Romae in regione Transiberina tunc ortum fuisse olivae fontem, quo significabatur fons ille misericordiae uberrimus Christus, de cuius nomine dictum fuerat, *Oleum effusum nomen tuum*. Quem fontem ait Paulus Orosius, sancti Augustini discipulus, eripisse prope Tabernam melioriam, ex qua postea Romanus Pontifex Callistus primus ecclesiam, quae sanctissimae Virginis nomini dicata est, edificavit. Praeterea sanctus Antoninus diversis in locis, et Petrus Damianus in quadam homilia de Nativitate Christi a Lipomano allegata, et sanctus Bonaventura loco iam citato, aliud non minus dignum stupore miraculum memorantur, videlicet nobile illud et sumptuosum templum, quod Romanorum religio Pari dicebatur, de eius perpetuitate Apollo consultus integra remaneret, donec Virgo pariens integra remaneret, et incrupta: *Non cadet donec Virgo pariet*; quo illi admoniti oraculo, hanc templo praefixerat inscriptionem: *Templum perpetuum Pacis*, cum primum sacratissima Virgo Christum peperit, repente cecidisse, ut ruente templo Virginis partus, et eius puritas, atque integritas cognosceretur. Nicephorus quoque narrat, nascente Verbo divino protinus Idola conticuisse, neque ulla deinceps ab eis data responsa praeter unum, quod Imperator Augustus, de silentii causa oraculum interrogans, accepit in hunc modum:

Me puer Hebraeus, Divos Deus ipse gubernans, Cedere sede iubet, tristemente redire sub Oreum: Aris ergo delinac tacitis abscedito nostris.

Simillimum huic prodigio est, quod recenset martyr Dorotheus (in *Synopsi*), iniquis prophetam Hieremiam sacerdotibus Egyptiis pro signo nativitatis Christi praedixisse omnium Deorum inanum ruinam, et vastitatem, a quo tempore illos coluisse dicit imaginem pulchrae Virginis, quae nascente inter brachia teneret, quo postea nascente omnia Egypti simulacra, et Deorum imagines conciderunt.

Quod si placeat etiam singula elementa considerare, invenietur huius sacrae nativitatis celebratione nullum coram abstinentis, immo aliquid praeter naturae ordinem, et usum fescisse mirabile. De igni refert Lucas Tudenis (in *Chron. Hisp.*), relatus a Fr. Angelo de Pas (lib. 3. in *Symb.* c. 17) ea nocte, qua Christus fuit natus, Sodomitas omnes ardore flammaram exustos, et in cinerem conversos. Et de aere scribit Anselmus (super *Evangelium Matthaei*), in aerea regione regibus Magis stellam apparuisse: quod etiam de aqua tradit Beda (c. 8. de *loc. Sanctis*), referens fontem in porticu Bethlehem erupisse, ad inopis illius familiae commoditatem. Nec minus est admirandum prodigium Sibyllarum illuminata mens, siquidem Spiritu afflante divino magis horiarum rei iam transactae, quam futurae vaticinium tractantes, de tam occulto mysterio texere videantur.

Nam Erythraea dixit: *Exurgit mulier de stirpe Iudaeorum nomine Maria, et procreabitur ex ea sine coniunctione viri de Spiritu sancto Filius Dei nomine Iesus, et ipsa erit Virgo ante partum; et Virgo post partum; qui vero ex ea nascetur, erit verus Deus, verusque homo.* De Ioco in quo nasci Christus debebat, ita Sibylla Tiburtina memoravit: *Nascetur Christus in Bethlehem, annuncietur in Nazareth.* Et Cananea inquit: *In ultima aetate humiliabitur Deus, humiliabitur proles dicina.* Unde poeta Virgilius:

Iam nova progenies caelo demittitur alto,  
Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.  
Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.

Praeterea, quae a loco Tibaris dicta fuit Tiburtina, cuius meminit Plinius, haec verba de Christo proluit: *Nascetur Christus in Bethlehem, felix mater, cuius ubera lactabit.*

Quamvis autem quae haecenus memoravimus, mirabilia sint, multo magis quae in porticu Bethlehem acciderunt, videntur mihi admiranda. Haec enim sunt eiusmodi, ut coelum, et terram, atque angelos ipsos in admirationem rapiant, et stupore defigant. Primum quis non obstupescat, intuens stabulum in coelum conversum? nam si fulget sol in coelo, Christus Iesus verus iustitiae Sol recubens in praesepio multo pulchrius, et fulgentius, quam aethereus Phoebus, orbem terrarum illustrat. Si luna coelum condecorat, porticum Bethlehem exornat Virgo pulcherrima, de qua dixit Spiritus sanctus: *Pulehra, ut luna.* Si coelum stellis ornatur, ex illis non paucae sunt errantes; at in portica Bethlehem astra fulgentia sunt, et fixa, spiritus videlicet angelici, qui nunquam a clara Dei visione vel puncto temporis separantur. Si coelum musicis resonat concentibus, et hymnis angelicis concrepat, non utique huiusmodi harmonia in Bethlehem desideratur, ad quam nascente Christo convolans angelorum chorus suavi voce concinuit (*Luc. 2*): *Gloria in excelsis Deo: facta enim est cum angelo multitudo caelestis exercitus laudantium, et dicentium: Gloria in altissimis Deo.* Quem etiam non afficiet admiratione, contemplantem, illud prodigium, quod tanquam huius mysterii figura Moysi contigit, nunc in Christo renovatum, immo et impletum? Ait enim Scriptura, quod quando Moyses manum suam intra sinum clauderat, et calefaciebat, valida erat, et sana; cum autem illam educebat a pectore, statim debilitari, et inflicti lepra incipiebat. Notum omnibus est, divinum Verbum vocari manum, ut constat ex Davide, dicente (*Psal. 43*): *Emitte manum tuam, et eripe me:* quae manus dum latuit in sinu Patris, nam de illa dictum fuit, *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, sana admodum erat, atque ita fortis, et valida, ut non facile tractari, tangi, vel inflecti posset* (*Psal. 90*): *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo;* sed hanc ipsam ita potentem Patrem ex sinu extraxit, atque ita, postquam Filius eius exivit a Patre, et venit in mundum, illico reddita fuit infirma, quae prius erat invicta. Unde Isaias de hoc mysterio loquens dixit: *Vidimus eum quasi leprosum, sub-*

lectum nempe doloribus, et laboribus. Hoc prodigium optime declarant *Beniamini*, et *Benoni* duo illa nomina, quibus puer hic praesignatus fuit, quorum primum nomen idem est, quod *filius dexteræ*, et secundum idem, quod *filius doloris*, illudque a Patre, hae a Matre suscepti. Si Christum meditatur in sina Patris, et agnosceris illum esse *Beniamini*, quem sinu foveat, amet, et amplectatur, ex eaque ratione optime illi convenit nomen, quo *filius dexteræ* nuncupatur. Verum si eum a Patre iam egressum, et in praesepio positum consideremus, fatebimur proculdubio iure optime vocari *Benoni*, seu *filium doloris*, quandoquidem omnibus temporis, et rerum iniuriis expositus, frigore laeditur, et paupertatis fatigatur incommodis. Meminit Iob alterius non minus admirandi prodigii, quod his verbis proponit, dum ita interrogat (c. 38): *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et tubilarent omnes fluvii Dei? quis conclusit ostium mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens: cum ponerem nubem vestimentum eius, et caliginem illud quasi pannis infantiae obvolverem? Per astra matutina innuit angelos, qui nato infante Christo caelestes hymnos cecinerunt, per filios Dei intelligit homines, id est pastores illos, qui auditu angelorum cantu Bethlehem incurrentur angelis accinentes. Interrogans autem causam tantum tantum subicit: *Quis conclusit ostium mare?* quoniam si ingens prodigium est mare magnum, et spatiosum ceteris limitibus tanquam ostiis coerceri: quanto mirabilius erit divinitus oceanum immensum intra vasculum ita parvum, et angustum includere, quae Christi nascentis corpusculum habebatur? Claudebatur quidem Deus antequam hominem indueret, nostram accipiens naturam, tanquam fervidum aestuans mare intra suorum attributorum syrtis, et scopulosa loca, ad quae negabatur accessus navibus potentissimis, atque optime, et fortiter instructis: illuc enim si accedere tentabant, ad scopulos affigi, et naufragium facere solebant; verum postquam Dei Filius homo factus suae matris ubera coepit sugere, illud antea procellis plenum mare, iam placidum est, et lacteum, atque ita facile, ac securum ad navigandum, ut quavis humilis cymba, iutate, aut lembo quilibet rudis nauta illud ingredi, et percurrere valet. Hinc agrestis colonus, anns rusticae, et incultus Arabs, sola Christi fide securiores, quam si nauticae chartae ductu regantur, pelagus tanlorum mysteriorum adeuntes nullam experiantur procellam, nullo fluctuum aut ventorum turbine aguntur, divina sacramenta, et fidei arcana facili assensu, et constanti pia voluntatis firmitate credentes. Addit etiam Deus alloquens Iob (c. 38): *Ubi eras cum ponerem nubem vestimentum eius, et caliginem illud quasi pannis infantiae obvolverem? Quid hoc est, nisi quod Lucas dixit: Et pannis eum involvit? Nam qui erat immensus, in nris fasciolarum angustiis adstrictus tenebatur. Quo munere dum Virgo fungitur, aurorae mihi videtur similis: illa enim cum peperisset nobis Iesum fulgentissimum iustitiae Solem, pannis quasi nubis caliginem illam obvolvit, ne eximia eius claritas, et splendor infantibus**

## HOMILIA IX.

*Multipli priscorum Patrum eruditione aurea contectur catena, nativitatis Christi Domini dulcissimam narrationem admissum explicans, in illa verba: Factum est autem cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinauit in praesepio, quia non erat ei locus in diversorio (Lucae 2).*

Cum Christus Dominus, Deus pariter, et verus homo sit, orthodoxa fides docet, duplicem in eo agnoscendam esse nativitatem: primam, aeternam a Patre sine matre, de qua Michaelas (c. 7): *Egressus eius a diebus aeternitatis; alteram temporalem ex matre absque humano patre, cuius meminit Oseas, dicens (c. 6): Quasi dilauculo preparatus est egressus eius. Apte satis egressum Christi ex utero matero diluculo comparat, quia sicut cum erumpit aurora, sol egrediens auroram non laedit, sed illustrat magis; ita Christus e visceribus matris oriens Virginem Matrem per auroram significatam ortu suo non violavit, sed clariorer reddidit. Verum, quia de aeterna Christi nativitate longum supra textimus sermonem, nunc de temporali tantum disseremus. Ait ergo sacer Evangelista (*Luc. 2*): *Impleti sunt dies, ut pareret.* Merito quispiam interrogabit, quare cum de Sario partu in sacra Scriptura mentio fiat, Moyses non meminerit tempore, sed temporis tantum, dicens: *Peperit filium matero, quo praedixerat et Deus:* simile etiam legitur de Elisabeth, quod d. Lucas refert: *Elisabeth impletum est tempus pariendi.* Cur, inquam, Evangelista ait, *impleti sunt dies*, et non *impleti sunt menses* vel *impletum est tempus pariendi*? Arbitror quidem rationem huius esse, ut singula temporis momenta huius conceptae prolis attente consideranda esse edoceret, ne dum dies tantum. Non defuerunt, qui dicerent Christum Dominum septimo a sua conceptione mense fuisse natum. Alii vero gestationem in utero per novem menses, et fere decem, et septem dies effluerunt. Uramque tandem hanc sententiam Ecclesiastica damnat fatetur, ut antiqui Patres adnotarunt. D. Chrysostomus (*ho. 1. in Luc.*), et Augustinus (*lib. 4. de Tri. c. 5. et lib. 83. qq. q. 56*), nec non Sophronius (*in ep. quae refertur in p. syn. act. 11*), et d. Damascenus (*lib. 4. c. 15*): hi omnes Patres conveniunt, Christum Dominum novem menses explevisse, ac decimum iam ingressum statim in lucem prodisse, ea ratione ducti, quia id est legitimum tempus, et maxime naturale ad perfectam hominis nativitatem, quod proinde Christi nativitati negandum non est, cum in his, quae indecens non redolent, fratribus per omnia assimilari voluerit. Scio Theorianum (*in legatione ad Armenos*) dixisse, novem mensibus, et quinque diebus Christum Dominum in materno utero delituisse.*

Ceterum in hoc nihil præcitat Patribus adversum tradit: nam d. Augustinus in allegato loco etiam dicit novem menses, et sex dies inter conceptionem, et nativitatem intercessisse: loquitur autem de mensibus æqualibus, qui ex triginta diebus coalescunt: si enim numerentur menses inæquales, proel sunt in communi acceptione hominum, solum novem integri menses interfuerunt, qui omnes ducentos septuaginta sex dies complectuntur, ut ipse etiam d. Augustinus ibidem animadvertit.

Ait præterea Evangelista: *Et peperit filium suum primogenitum*. Observa, quæso, in primis, quod sicut natiuitas Christi Domini eitra omnem fastum mundanum contigit, ita b. Lucas canem verborum lasciviam, atque pompam in describenda ipsa nativitate vitavit: non enim simplicioribus atque humillioribus verbis uti potuisset, quam istis: *Peperit filium suum primogenitum*. Modus huius partis illustrissimus omnium fuit: nam qui ad virginitatem decendam venerat, Matris virginitatem non violavit, sed illibatam, atque illaeram servavit: ut enim sine corruptione suum edit fructum arbor, summe fulgorem stella; ita sacra Virgo, quæ mirifica arbor, et fulgentissima stella maris est, benedictum ventris sui fructum, mellis, cereæque naturam sine læsione floris mam sine læsione, detrimetove Mariæ Virginis, quæ flos est virginitalis, accepit: Nos filii Adæ in peccato concepti, ut gemina viperarum, viscera materna rumpimus; seens autem Christus, qui cum supte natura Sanctus Sacrorum sit, virginitalis sigillum non modo non violavit, sed firmissime ultra quam dici possit, eius integritatem stabiliverit. Unde d. Damascenus (*lib. 4. de orth. fide*) ait: *Quædammodum Eca sine commissione ex Adam plasmata est, sic ista novum Adam lege partus in utero tulit, quod peperit supra nativitatis naturam: notus est enim sine patre, et ex patre sine matre. Et quoniam ex muliere, lege partus; quoniam sine patre, super nativitatis naturam: et quoniam consueto in tempore, nam novem menses complens, et decimum attingens nascitur, id fit lege partus. Quod autem sine dolore, supra legem partus est. Cuius enim voluptas non præcessit, neque parienti dolo subsecutus est, secundum Prophetam decemtem: Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Et d. Augustinus (*serm. 15. de temp.*): *Crevit, inquit, in eius partu integritas corporis potius quam decrevit, et virginitas ampliata potius quam fugata*. Consonant his, quæ lepide Chrysologus (*ser. 242*) scripsit dicens: *Qui ingreditur, et egreditur, et intratus sui, et exitus nulla vestigia relinquit, diuinus habitator est, non humanus: et infra: In tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, acta est castitas, integritas collocata. Cum autem Evangelista ait, peperit, intelligendum est, tanquam veram matrem filium partientem, illum foras active impulisse, ut catholica Ecclesia canit: *Enica, impulsus indicat, sed non cum dolore, ut contingit aliis parturientibus,***

ut egregie docuit d. Damascenus supra citatus, et testantur communiter patres, Gregorius Nazianzenus (*in trag. de Chris. pat.*), et Nyssenus (*orat. 1. de resurr.*), d. Augustinus (*ser. 14. de nat. et ser. 1. de ass.*), d. Bernardus (*ho. 3. in Missus est, et ser. 4. in vig. nat.*), et Falgenus (*ser. de lau. Virg.*), cuius præterea verba non licet silentio præterire, ait enim: *Nulla fieri græcedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti: qui enim venerat triste lastificare sæculum, ventris non contristavit hospitium*. Ait tandem Ecclesia catholica id confirmans, ait: *Nesciens Virgo circum, peperit sine dolore Salvatorem*. Duplici etiam ratione id ipsum stabilire possumus. Prima philosophica, quam adducit doctor Thomas (*1. par. qu. 35. art. 6. in cor.*), quia dolor parturientis causatur ex divisione, aut violenta compressione partium. Christus autem egressus est ex clauo utero Matris, et nulla facta virginitalis ruptio; igitur ille partus fuit sine dolore; immo cum spirituali animi iucunditate, quia natus est homo Deus in mundo, ut sapienter adnotavit d. Thomas ibidem. Secundam rationem tradunt præcitati Patres, quia dolor partus respondet libidini conceptionis: quia ergo in conceptione libido non anteivit; ideo nec dolor in partu subsecutus est. Nec me læet avulsionem infantis a vulva matris, cui cum per umbilicarem nervum velut insertus, et iustus est, dolorem in parturientibus causare: tamen licet verissimum sit, Christum in utero, sicut ceteros infantes, matris vulvæ cohaerentem exiisse, ut sic de matris sanguine aleretur, ut his verbis eleganter docuit d. Hilarius (*2. de Tria*): *Inenarrabilis adeo originis unus unigenitus Deus in corpore humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit*. Ecce insertionis verbo satis explicat cohaerentiam Christi infantis cum Matre; nihilominus tamen virtute Christi nascentis factum est, ut eius avulsio, et ex utero materno extractio nullum prorsus matri dolorem inferret, ut egregia similitudine adnotavit Cyprianus, dum dixit (*ora. de Nativ. Christi*): *Ultero maturus ab arbore botaia fructus exilis est, nec oportuit vellere, quod sponte prodibat*. Quod et David non obscure mihi indicasse videtur, cum in persona Christi loquentis dixit: *Tu es qui extraxisti me de ventre*. Alii extrahuntur ab obstetrice; sed Christo hoc fuit singulare, ut extraheretur a Deo ex utero materno; vel, quod in idem recidit, ipse virtute divina se extraheret. Unde eleganter d. Augustinus (*serm. 2. de Nativ.*) ait: *Non hic cogitur parentis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sine matris natus est, ut volabat, et poterat*. Hæc omnia his elegantissimis verbis prætrinxit antiquissimus Tertullianus: *Acripe David Domino Patri loquentem, quia tu es, qui avulsisti me ab utero matris meæ*. Acquisit, inquit, ex utero: quid avellitur, nisi quod inhaeret, quod infærum est ei, a quo ut auferatur, avellitur? Si non adhaeret utero, quomodo avulsus est? si adhaeret, qui avulsus est, quomodo adhaerisset, nisi dum ex utero est, per illum nervum umbilicarem, quasi folliculi sui traducem anneauz origini vitæe? et tamen cum quid extraneum extraneum agglutinatur, ita concinna-

tur, et conviscerat cum eo cui agglutinatur, ut cum avellitur, rapiat secum ex corpore ali-quid, a quo avellitur, quasi sequelam quandam corruptæ unitatis; hæc Tertullianus. Similiter etiam Patres docent Virginem in partu non emisisse secundinas instar aliarum parturientium, ut Doctores omnes, et Magistri in Trullo congregati unanimi consensu conscripserunt, in hæc verba (*can. 29*): *Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentis, ut qui sine semine constitutus sit, idque toti gregi annuntiantes, eos, qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni subiectimus: et infra subdit: Non licere ex communibus, et iis quæ in nobis sunt, inenarrabilem Virginis partum, quæ supra mentem, et sermonem Verbum peperit, desuere, metiri, ac describere*. Quæ definitio magni faciendæ est, et ingenium habet auctoritatem, quoniam illi canones, præterquam quod plus quam a ducentis viginis Patribus editi sunt, in septima Synodo (*actioe 7. can. 11*) approbati videntur, ut Surias adnotavit; qui etiam advertit, Michaelæm Adrianum summum Pontificem, et alios horum canonum auctoritate usos fuisse. Atque hinc est, quod cum beatissima Virgo, et dolore, et secundinis caruerit, opus non habuit in suo partu obstetricæ, ut adversus Helvidium docuit d. Hieronymus (*lib. advers. Helvidium c. 2. to. 1*), his verbis: *Nulla tibi obstetrica, nulla mulierularum sedulitas interessit; ipsa panis involvit infantem, ipsa et mater, et obstetrica fuit: et d. Gregorius Nazianzenus (*in trag. de Christo patiente col. 10. et 11*), Epiphanius (*lib. 3. cont. hæres. in fin.*), d. Augustinus (*lib. 2. de hæres. c. 5*), et Cyprianus (*ser. de Nativ. Chris.*), idem omnino dicendum disertis verbis docent. Nam Augustinus (*lib. de quinque hæres*) inquit: *Unde sordes in Virgine matre, ubi non est concubitus cum nemine patre? Quod si sordibus puerperii beatissima Virgo obnoxia non fuit, opus non erat obstetricum ministerio, ut colligit d. Thomas ex Hieronymo. Cyprianus autem sic ait: *Meria genitrix, et obstetrica, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio*. Unde in sexta Synodo actioe undecima, Sophronius partum Virginis vocat incorruptibilem, quia sine fluxu sanguinis, aut sine passione perfectus fuit. Adde quod si obstetricæ adfuisset partui virgineo, perspicue vidisset Christum Dominum egressum illaeso claustrum virginitali: *Sacramentum autem regis abscondere, bonum est, ut dixit Tobias*. Loco autem obstetricum angeli adfuerunt, ut testatur d. Augustinus (*ser. de Nativ.*). Cruentum autem Christum Dominum egressum fuisse ex visceribus maternis his verbis scripsit d. Hieronymus (*in Epist. Eustoch. de virg. obser. to. 3*): *Dei Filius pro nostra salute hominis factus est filius: novem mensibus in utero, ut nasceretur, expectat, fastidia sustinet, cruentum egreditur, panis mrobitur, blanditiis delinitur, et ille puyillo mundum includens præseps continetur angustis*. Caute tamen legenda sunt hæc verba Hieronymi, dum ait, *cruentum prodixit corpus Christi ex utero materno: nam vel loquitur pro tropum; vel solum vult, quod sicut alii infantes recens nati ita purpurei ex***

maternis visceribus egrediuntur, ut quasi cruenti apparent; ita similiter contigerit Christi Domino nascenti. Scio Alphonsus Salmeronem (*tom. 3. de infantia Christi tract. 13*) negligere hæc causæ lectionis observationem in verba d. Hieronymi: sic enim ait: *Revera non videtur, quæ sit solida causa illius adnotationis caute legendi Hieronymum, cum constet Christum eo modo, quo ceteri, cruentum egressum de utero matris, cum etiam cruentatus suo sanguine, e mundo hinc discesserit, et lotus a Ioseph, et Nicodemo, ut testis est Chrysostomus, sepulturæ traditus sit: et b. Bonaventura lib. medit. vitæ Christi (*cap. 7*), ex revelatione facta cuidam Sancto sui Ordinis fide digno asserit: Ubi primum natus est, matrem se inclinasse, cumque recollectis, et dulciter amplexatum posuisse in gremio suo, ubero de coelo pleno, et Spiritu sancto edoctum coepisse ipsum lacrare per lotum cum lacte suo, quo factu involuisse eum in velo suo, et posuisse eum in præsepio; hæc ille. Quidquid tamen sit de hoc, omnino dicendum arbitror, beatam Virginem peperisse Filium suum absque ullis cruribus inquinamentis, ut ait d. Epiphanius (*cont. Arrian. hæres. 69*), mundissimam, omni que ex parte nitidum, et elegantem, solisque inbare splendidiorem. Quod autem adnotat Caietanum (*in tertiam partem d. Thomæ*) Christum infantem, cum primum editus est in lucem, lotum ab angelis fuisse absque ulla aqua, firmum fundamentum non habet; maxime quod cum Christus Dominus lotus mundissimus natus sit, lotionem non indiget: quod si humectatum corpus ex maternis visceribus nascentes panis excicare oportuit; certe beatæ Virginis, quæ panis cum involvit, ut ait Evangelista, illud officium præstare incumberebat; et quanto dignior erat beata Virgo ipsis spiritibus angelicis, tanto Christo honorabilior, et charius erat hæc officia ab ea suscipere. Sed percontabitur et merito quispiam, quis locus Christum Dominum recens natum primus exceperit: num terra ipsa, vel pavementum, an manus Virginis, vel angelorum. Quidam existimant in terram ipsam propter summam eius humilitatem immediate concidisse, quibus favere videtur illud (*Sapient. 7*): *Ego natus accepi communem ærem, et in similitur factam decidi terram*. Sed de amore beatæ Virginis erga Christum, ac de singulari eius providentia circa ortum Domini cogitans minime crediderim, panum, aut linteolum non suspensisse, ut non in nudam, sed ornatum pro suo modulo, unigenitus Dei Filius, ex ea nascentes, descenderet terram. Alii opinantur Virginem Filium suum ex se nascentem primam suis manibus suscepisse. Alii contemplantes vix id fieri potuisse, asserunt, angelorum ministerio fuisse susceptum, et in manibus Virginis hoc eodem tempore positum, quo ipsa ferventissime ad eum clamabat: Manifesta, aeternæ Patris, thesaurum tuum in agris corporis mei absconditum, et pretiosam margaritam in concha carnis meæ latitantem; revela mundo imaginem tuam, ut te agnoscat: egredietur de creatura tua creator omnium; ex parvo rivo fons magnus; ex vasculo figulus; ex ramo radix virgultii; ex palmite vitis vera; sol ex*

stella aetate; sponsus de suo tabernaculo; ex nube mortalitatis sol iustitiae; ex centro infinita sphaera, in qua mundus videat factorem suum, angelus regem, et caput suum diademate humanitatis coronatum; peccator redemptorem, iustus iustificatorem, et tribulatus consolatorem.

Sed iam sequentia verba explicemus: *Peperit Filium suum primogenitum*. Recte quidem ait suum: nam vere magis filius suus erat, quam quicumque alius filius respectu suae matris, cum alii a patre, et matre sint; Christus autem a sola matre, sine humano patre, Spiritu sancto cooperante genitus fuerit. Memini Iobum dixisse (c. 28): *Habet argentum venarum suam principia, et auro locus est, in quo conflatur*. Christum Dominum ex divina, et humana natura compactum ex auro, et argento non incongrue dicemus componi, auro scilicet divinitatis, quod praestantissimum est omnium metallorum, et in virtute fere omnia continet, cum auro omnia emanant; argento vero purissimae humanitatis, cuius pretio inestimabili redempti sumus. Huius autem auri, et argenti mirabilis copulatio, si quaeras, ubi facta sit, ecce respondeo, in visceribus Virginis: *Argentum venarum suarum principia habet*. Cum autem dicit Evangelista, quod peperit Filium suum primogenitum, observandum est in sacris litteris primogenitum vocari, qui primus natus est, quamvis nullus sequatur nascatur: unde primus dicitur, non quia postquam alius, sed quia nullus praecessit; ad eum modum, quo (Num. 18) dicitur: *Quidquid primum erumpit ex culta, sive ex hominibus, sive ex pecoribus fuerit, sui iuris erit*. Lege etiam Moysis praecipiente, omnem primogenitum debere in templo offerri, manifestum est, parentes teneri ad offerendum unigenitum, quia ille etiam est primogenitus, cum ante illum nullus alius natus esset. Dixit etiam Evangelista non absque mysterio primogenitum, quia semper primogeniturae magna dignitas fuit in lege veteri, immo et in lege naturae primogeniturae adnexum erat sacerdotium. Ut hunc ergo honorem Evangelista Christo deferret, primogenitum eum vocavit. Vel, si placeat, dicamus cum Cyrillo (lib. de recta fide), vocatum fuisse primogenitum, quia nostram naturam assumens multas habuit fratres eiusdem naturae participes: *Nominatus est, inquit, primogenitus unigenitus Dei Verbum: nam participes fuit carnis, et sanguinis, et societatem nobiscum habuit*. Vel tandem dicamus, quod sicut Eva dicta est mater omnium viventium, ita beata Virgo spiritualis mater est omnium fidelium: habuit quidem Christum primogenitum secundum carnem, fideles vero secundogenitos secundum spiritum, ut satis indicant verba Pauli, dicentis (ad Ro. 8): *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*.

Ceterum iam verba illa mysterii plena: *Et pannis eum involvit*, Patrum doctrina exornate aggrediamur; sed prius observare oportet, quod ubi nostra vulgata legit: *Pannis involvit*, Graecus interpret veritatem: *In fasciavit*, quia beata Virgo Christum pannis involvens, et fascia obligans, matris, et obstetricis simul officia recens nato filio exhibuit, ut dulcissimis his ver-

bis edisserit d. Cyprianus (ora. de Nativitate Christi): *Panniculi, inquit, pro purpura, pro byssino in ornatu regio lacinae congeruntur. Genitrix est, et obstetric, et devotam dilectae soboli exhibet clientelam; atrerit, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam: totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturae contumelia in puerperio*. D. Bernardus mysterium hoc contemplantis ait (ser. 4. de Nat.): *Neque enim sine certi ratione mysterium Pannis Salvatoris involvitur, et ponitur in praesepio, quando id manifeste in signum nobis commendatur ab angelo: Hoc inquit vobis signum: invenietis infantem pannis involutum. In signum positi sunt panni tui Domine Iesu, sed in signum, cui a multis usque hodie contradicitur; multi quippe vocati, sed non multi electi, et ideo nec signati. Agnosco certe, agnosco Iesum magnum sacerdotem sordidis operum vestibus, dum altereretur cum diabolo; haec Bernardus. Venerabilis Beda (in eundem locum Lucae) sic ait: Notandum, inquit, solertius, quod signum nati Salvatoris datur non Tyrio exceptum ostro, sed pannis involutum, non in ornatis auro stratoribus, sed in praeseptibus inveniendum. Ad haec Patrum testimonia subiungamus et nos, primum parentem in stato innocentiae nudum exiitisse, nec ob id erubescere: postquam lamen divinum praeceptum violavit, fecit illi Dominus tunicas pelliceas, et induit eum. Ex quo aperte infero, vestimentum manifestum fuisse peccati indicium: nam si homo non peccaret, veste qua tegeretur, non indigeret. Cum ergo Christus Dominus pannis involvitur, peccatoris insignibus induitur, qui speculum est sine macula, et imago bonitatis illius, ut sic velut alter Iacob, vestibus Esau peccatoris indutus, aeterni Patris benedictionem multis fratribus post illum venturis oblineat, de quibus d. Paulus (ad Heb. 2): *Non confunditur frater eos vocare, dicens, muniabo nomen tuum fratribus meis*. Deinde ex praedictis verbis: *Et pannis eum involvit*, perplectram doctrinam moralem adversus hypocritas eruere possumus. Voluit quidem hi Filium Dei gestare nudum, et cunctis illum osendere, sed non sic beata Virgo, non passa est illum nudum existere, sed pannis stallo involvit, ut doceat nos opera nostra abscondere, et quasi pannis conterege. Quod praecipue observare debent hi, in quibus Christus recens natus est. Nam quemadmodum ventus Aquilo fructus arboris, dum in flore sunt, facile adurit, et exsiccat; non secus, cum Christus in recens iustificata anima nascitur, veluti in flore est, et ideo facile ventus urens inanem iactantiam, libidinis, aut similibus alterius peccati florem marcidum reddit. Expectandum igitur est, ut Christus adolescat, et fiat vir, hoc est, ut anima in virtute progressus aliquos faciat, tunc enim tempus erit oslandendi Christum nudum, antea vero non, nisi servandi illum pannis humilitatis, et silentii involutum. Quam doctrinam non obscure indicatam arbitror a Christo Domino, cum recens natus pannis involvi, adolescens iam, et in aetate proventus nudus in cruce pendere voluit. Ac tandem cum b. Virginem intueor, pannis filium involventem, et fascia ve-*

lut vinculis ligantem, mystice impletum cerno, quod de unicorni D. Isidorus commemorat: ait enim (lib. 12. etym. cap. 2): *Tantae est fortitudinis, ut nulla venantium virtute capiatur: sed sicut asserunt, qui naturas animalium scripserunt, virgo puella praepertur, quae venientis sinum aperit, in qua illa omni ferocitate deposita caput ponit: sicque soporatus velut incernis capitur; hactenus s. Isidorus. Venatores unicornem hac declinant arte, opponentes ei virginem decoram, et mundo muliebri ornatum, cuius decore lae capitur, ut deposita ferocitate, velut mansuettissimus agnus, virginis pedibus provolvatur, atque se tractandum benevole exhibeat: quae dum leniter ei blanditur, eumque permulcet, collo eius loquum furtive immittit, quae a venatoribus prope delitescens fortiter retinetur. Mirum sane unicornis ingenium, ac vis naturae eximia, quae feroci bruto puellarem gratiam sic conciliat. Quid Filio Dei similis, quam filius unicornium? maxime Davide dicente (Psal. 28): *Dilectus quemadmodum filius unicornium*. Captus et ipse visus est amore Virginis, et maiestatis suae veluti oblitus, carnis vinculis irretitur; unde factum est, ut cum antea in lege veteri esset *Deus ultionum*, et cornu suae iustitiae acriter ferret, in visceribus lamen Matris incarnatus, *Pater misericordiarum, ac Deus totius consolationis merito appellatur*.*

Illud autem antequam ad sequentia verba elucidanda accedamus, silentio praeterire non licet, quare Evangelista, cum matrem pannis Filium involventem commemoravit, eisdem et lactantis non meminerit, cum hoc commune sit omnibus infantibus, cum primum nascentur, ubera lactantis sugere. Opinor sane consulto Evangelistam id praeterisse, quia Christus antequam lacte nutririi inciperet, voluit sacrificium abstinentiae Deo offerre in compensationem immoderati cibi, quem primus parens contra divinum praeceptum comedit. Itaque sicut primum hominis peccatum fuit cibi ingluviem, primum etiam externum sacrificium in eius satisfactionem voluit Christus esse lactis abstinentiam. Postmodum vero, ut ait d. Cyprianus (serm. de nativitate Christi): *Virgo sanctissima Christo recens nato porrexit mammam*. An vero lac illud fuerit naturale, vel miraculosum, non est una omnium sententia; nam eruditissimus Salmeron (to. 3. de infantia Christi tract. 33) putat naturale fuisse, ea ductus ratione, quia naturale omni puerperae, ut sanguinem menstruum confestim ad mammillas mittat ad alimentum foetus. Alii vero, quibus assentior, miraculosum fuisse autumant: quia si naturalis solum ratione ducamur, non dat lac femina, nisi cognita a viro; deinde quia Christus Dominus, sicut ex purissimis sanguinibus Virginis genitus fuit, ita ex purissimo lacte, non ex mensuro sanguine confecto nutririi debebat. Id quod non obscure edocet Ecclesia catholica, dum canit: *Sola Virgo lactabat ubere de coelo pleno*: quae verba satis indicant, miraculosum, ac divinitus missum lac ad ubera Deparvae Virginis.

Porro ad sequentia verba iam veniamus: *Et reclinauit eum in praesepio, quia non erat ei*

locus in diversorio. Satis haec verba humilitatem, et abiectionem loci natalis Domini praeserunt, quam ut excellenti Patres, quorum quidam stabulum vocitant, alii speluncam appellant. D. Augustinus (ser. 2. de Epiph.): *Abconditur, inquit, in stabulo, et agnoscebatur in caelo, ut agnitus in caelo manifestaretur in stabulo*. D. Cyprianus (or. de Nativitate Christi): *Nulla, inquit, domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo, Mater in foeno, Filius in praesepio*. At Gregorius Nyssenus (or. de Nativitate Domini) speluncam illum vocat locum: *Quid illi vult, quod Dominus in spelunca diversatur? quod in spelunca dormit? cum speluncam videtis, in qua nascitur Dominus subterraneam, ac lucis expertem, hominum cogita vitam, in qua versatur is, qui illuc est, et apparat his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent*. Et Iulianus Maritry (in dialog. cum Tryphone) ait Iosephum, cum non haberet in vivo locum, in quo diversaretur, in spelunca diversatum esse. Eodem modo loquuntur Epiphanius (haer. 15), et Theodoretus (lib. 8. de cur. Graec. affect.), quorum doctrinam pulchre satis illustrare possumus ex illo Isaiae (c. 33), ubi de Christo sermonem agens inquit: *Iste in caelestis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius erit, quem locum Septuaginta sic legunt: Hic in caelestis petrae foris spelunca habitabit*. Illud tamen, quod haereticis figmentum Christianorum nuncupant, bovem, et asinum nativitati Christi addidisse, commentum non est, sed verissima traditio Scripturae, et Patrum testimonio stabilita: nam d. Ambrosius (sup. cap. 2. Lucae), et Gregorius Nyssenus (or. de Nativitate Christi), et Origenes (hom. 13) affirmant, impletam esse tunc prophetiam Abacuc: *nam ubi vulgatus interpret legit, In medio annorum vivifica illud*. Septuaginta interpretes verterunt, *In medio duorum animalium cognosceris, et magnus pater Augustinus (serm. de Nativitate) agens de loco Natalis Domini ait: Illic cognovit boi possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui, quae sunt verba Isaiae (cap. 1): Circumcisio scilicet, et praepitium cohaerentem lapidi angulari, quorum primitiae fuerunt pastores*. Sane asinus gentilem populum significat, quia veluti totius rationis expertes vitam agebant gentiles. Bos vero populum Hebraeum, qui iugum durum veteris legis super se portabat, egregie praefigurat. Non igitur est figmentum Christianorum, Christum recens natum iacuisse inter duo animalia. Immo divus Gregorius Nyssenus (or. de Na.), quod in hoc singulare advenit mysterium, his verbis scripsit: *Medius inter bovem, et asinum in praesepio utriusque Dominus est, ut soluto interstitio sepius ambos in sese creet in unum novum hominem, et ab hoc grave legis iugum auferat, et illum simulacrorum cultus onere levet*. Stupendum sane prodigium, ineffabile sacramentum, portentum a saeculo nunquam auditum! Filius Dei, qui est in sinu Patris, vagiens iacet in praesepio. Quid alius sinu Patris, et quid humiliter stabuli praesepio? Vere quidem. *In propria venit, et sui cum non receperunt*. Memini Plinium commemorare infantem Sagunti recens natum, proliis reversum in alacrum ma-

